

D E O  
PATRONIS ET AMICIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

*Fides à nobis data (a) in præsens liberatur, dum Tractationem de Jure consecrandi Suffraganeos Metropolitani reservato sistimus: quæ nos ad hæc tractanda moverint, alibi (b) memoravimus. Interim, amice Lector! te obtestamur, ut ea, quæ hîc scripsimus, seposito omni præjudicio, animi, Nationis, & Instituti secundum sapientissimum BENED. XIV. monitum (c) dijudices; minùs vero, à nobis Primatum summi Pontificis irreligiosè impugnari credas: memorem enim te esse petimus illius, quod famosus Lutheri Antagonista Joannes Eckius (d) ingenuè fatetur: de Ordinatione Episcoporum, quid hæc ad Primatum? Hinc, nempe Jurisdictionis, corde, ore, & calamo profitemur, atque adversùs ejusdem hostes & novaturientes spiritus constanter tuebimur: Reservata quoque certa, quæ successu temporis Primatui de Ecclesiarum omnium consensu accesserunt, omni reverentiâ agnoscimus; id verò absque injuria summorum paciscentium fieri posse arbitramur, ut cum celeb. Barthelio, dum Reservationes in pactis publicis seu Concordatis non existunt, aut eas existere dubitetur, Concordatorum literam ultrà reservationes expressas non esse extendendam in præjudicium Nationis, contendamus: sola enim litera Concordatorum nobis certam legem tulit, deinceps inviolabiliter observandam, ait Æneas Sylvius. (e) Vale interim, atque laboris conatum æqui ac boni consule.*

(a) *Diff. nostra ad Conc. germ. p. 34.* (b) *Ibid.* (c) *Const. sollicita 1753.*  
(d) *Lib. de Prim. sed apost. & D. Petri adversùs Lutherum C. 3.* (e) *Ep. 383.*